

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Georg Trendelenburg

Commentatio in Verba Novissima Davidis 2 Sam. XXIII. 1-7

Goettingae: Litteris Joh. Christ. Dieterich, 1779

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045829218>

Druck Freier  Zugang





F.C-3353.

Præsentat. h. d. Schai 1779.

COMMENTATIO
IN
VERBA NOVISSIMA
DAVIDIS

2 SAM. XXIII. 1-7.

AVCTORE

IOAN. GEORGIO TRENDELENBURG.

L V B E C E N S L.



GOETTINGAE,

Litteris IOH. CHRIST. DIETERICH

1 7 7 9.

St - 8353.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

OPERA OMNIA

2

DIAGRAMMATA PHYSICO

MATHEMATICA





Egregium illud carmen, quod nomine verborum Da-
vidis novissimorum vulgo insignitur, tantis videtur
difficultatibus obscurum esse, ut inter difficillima totius V.
T. loca numerari suo quodam jure mereatur. Quod quam-
quam omnes, qui de his rebus iudicare posse sibi viden-
tur, uno quasi ore testantur, *) tamen perexigua modo
aut fere nulla Virorum doctorum in carmine isto interpre-
tando opera est collocata. Etenim praeter eos, quibus
omnem codicem sacrum illustrare propositum erat, pauci
tantum praecepit ac singularem operam huic carmini ex-
pliando adhibuerunt, et nostris temporibus nemo, quan-
tum nobis quidem notum est, nisi cel. PFEIFFERVS. **)

A 2

Quum

*) LOWTH in Poës. sacra Hebr. ubi de Poësi prophetica f. בְּרִיאָה loquitur, affirmat, difficilem et impeditam huius carminis esse interpretationem. Quod et testatur in notis ad hunc locum ill. MICHAELIS, cuius, ab ore me peperisse, quoad vixero, gratus profiteri non desinam.

**) Versuche einer Erklaerung der so genannten letzten Worte Davids 2 B. Sam. XXII. 1-7. von M. AVGVST

FRIE-

Quum igitur qui ad carmen hocce melius intelligendum aliquid afferre student, non male videntur operam suam collocasse, neque ego quidem reprehendendus videbor, si quidquid interpretationi difficilis huius poëmatis inservire posse putem, exponam. Quamquam enim omnibus, quibus carmen hocce confertum est, obvenire difficultatibus ne sperare quidem poteram, tamen tantam lucem ex varietate lectionis, apud Alexandrinos, qui pro כוֹל שָׁל videntur לְשָׁל legisse, huic carmini affundi posse putabam, ut, etiam aliis rationem meam proponere, mecum constituerem. Quod quum, nisi omnem hujus carminis naturam exponendo, fieri non possit, brevibus singula attingens, difficultates, quantum quidem in me positum erit, tollere et quid ad sensum illius constituendum facere mihi videatur, explicare studebo. Inscriptitur autem illud:

יאלה רבריו רוד האחרנים

Quae quidem verba vetustiorum interpretes nonnullos, ut ultimum hunc a Davide prolatum sermonem putarent, adduxerunt. Propter magnum autem, qui ex eo elucescit, ingenii vigorem non posse hoc carmen a Davide morti vicino profici sci quum bene intelligerent recentiores fere quique, omnes fere in eam partem abierunt, ut e posterior-

FRIEDRICH PFEIFFER, öffentl. außerordentl. Lehrer der Weltweisheit und Bibliothecario zu Erlangen. Frankfurt und Leipzig. 1774. 8. Post Vitringam primus, quantum equidem novi, qui ex instituto huic carmini interpretando operam dederit.

sterioribus Davidis carminibus, quod scilicet proiectiori
aestate composuerit, esse arbitrentur. אַחֲרֹן vero non ne-
cessario designare *postremum*, *ultimum*, sed respectu *pri-
oris* cuiusdam rei, *posteriorius*, inficiari sane potest nemo.
Neque ה demonstrativum voci אַחֲרִינִים praefixum nos mo-
rari debet. Quanquam enim plerumque in sermone defi-
nito adhibetur et idem fere valet, quod apud Graecos et
Germanos articulus praepositivus, tamen, etiamsi sermo
definitus non sit, locum nonnunquam habet. Exemplum
huius rei insigne est Gen. XIV. 13. ubi הַפְלִיט non esse pot-
est δέ σωθεὶς sed, ut recte verterunt Alexandrini, τῶν
ἀναστάντων τις, unus ex servatis. Eodem prorsus
modo דָּרוֹד האחרנים esset, unum ex posterioribus
carminibus Davidis. Nam vocem רְבָרִים de carminibus et
poëmatibus Hebraeis valde sollemnem esse, recte monuit
cel. PFEIFFERVS. Saepius enim occurrit formula
הַשִׁירָה ut, 2 Sam. XXII. 1. Deut. XXXI. 30. Ps.
CXXXVII. 3. Quod quidem hebraicae linguae cum aliis
Syr. Chald. atque adeo cum graeca commune est, in qua
uon modo ἔπη carmen denotant, sed etiam λόγοι e. g.
Pind. Pyth. E. 63. Carmen autem ipsum orditur sic:

נָאֵם דָּרוֹד בֶּן יְשִׁי
וּנָאֵם הַגְּבָר הַקְּמ עַל
מִשְׁיחָ אֱלֹהִי וַעֲקָב
וּנְעָיוּם וּמִירָות יִשְׂרָאֵל

vox est solemnior, quae in sermonibus divini-
tus inflatis plerumque adhibetur. Cujus quidem rei docu-

mentum non modo illud est, quod Prophetarum vaticiniis hanc vocem semper fere praefixam videamus, sed usum illius extra omne dubium ponit locus plane classicus Jer. XXIII.31. ubi de falsis prophetis, qui in dictiis suis, quasi sermonibus divinitus inflatis, jactabantur, dicitur eos **מִשְׁתַּחֲזֵר נָאם** *) vocis nimirum sono veris prophetis follemni alios circumvenire cupientes. Quae quum ita sint, quain apte hoc vocabulo usus fuerit Davides, praesertim quum commate in sequenti se perculsu quodam et afflato divino fari prositeatur, statim appareat. Praeter Alexandinos, qui habent **πιστὸς Δαυὶδ**, omnes interpretes veteres textui convenienter vertunt. — Videntur autem illi sive **נָאָמָן** legisse, sive vocem nostram ab hac radice derivare voluisse. Quum vero haec lectionum varietas non modo sensum minus commodum, sed ne sanum quidem praebeat, ceteris veterum versionibus dissentientibus, non valde cura illius habenda est. Arabs vero imperative vertit — **لُقُورَ بِي دَاؤِدْ** loquere o David; quod et in vaticinio Bileami Num. XIV. 2. eum cum Syro fecisse, monuit cel. **P F E I F F E R V S.**

הנבר

*) Nam proprie Arabibus **نَامٌ** est *mussitare, gemere, anhelare.* **نَأْمٌ** autem est *vox tenis, obscura et submissa.* Respondet quoque huic vox **نَعْمَةٌ**. Quae quidem quomodo de iis, qui afflato divino gaudebant, dici potuerit, facile est ad intelligendum.

vox Syris et Chaldaeis satis nota. His enim illis גְּבָרִים simpliciter denotat *virum*. *) Apud Arabes vero hocce vocabulum non in usu est, et si habeant جَبَّارَ, quod tamen magis respondet hebraico גְּבָר, virum quendam *magnum, fortē et potentē* designans; unde in Abulpharagii Historia Dynastiarum etiam ad Gigantes designandos adhiberi memini. Apud Hebraeos autem non prorsus eadem, qua apud Chaldaeos et Syros, ratione videtur usurpari, sed honorificentius quoddam vocabulum esse, quod cum emphasi quadam coniunctum maximeque poëtis sollempne sit. Sic reperies saepius Num. XXIV. Quoniam vero ipsa radix גְּבָר *vincere* est, et גְּבוֹרָה *victoria*, quomodo non raro *virum bello fortē et heroēm* designare possit, e. g. Jer. XL. 16. Job. XL. 7. facile colligitur.

— הַקְטָע — In his verbis explicandis veterum interpretationes tam diversae sunt, quam recentiorum. Alexandrii enim habent: ὁν ἀνέσποτε κύριος ἐπὶ Χριστὸν Θεός Ιακώβ et יְהוָה aut legisse videntur, aut subintellexisse. Cyrus טְהִימָה אֲחֵתֶל אֶסְרֶן תְּמִימָה Arabs الَّذِي احْتَمَلَ أَصْرَمَ تَمِيمَةَ تَمِيمَةَ qui tulit onus *Messiae* sui. Voluit autem manifesto נְלָעָן בְּבָרָא דִמְרָבָא לְמַלְכָה pronuntiari. Chaldaeus גְּבָרָא vir, repit.

A 4

*) SCHVLTENS in Comment. in Prov. ex arab. ita explicat vocem; גְּבָר est a جَبَّار prop. *consolidavit* metonym. potens fuit, viguit robore.

vir, qui elevatus est in regnum, Vulgata: cui constitutum est de Messia. Cunctos autem hos עַל voluisse cum משיח conjugere primo statim intuitu appetet. Neque sane absque ratione hoc consilium iniisse putandi sunt. Quoniam enim voci משיח non praefixum est ה demonstrativum, quod exspectandum erat, si voci הָגֶר respondere debebat, omnino videtur ad עַל pertinere. Atque quum similis phrasis occurrat 2 Chron. XXI. 4. — קֹם עַל מִלְחָמָת, hanc quoque non proorsus ab Hebraeorum loquendi more abhorruisse, censendum est. Sed si horum rationem sequi velimus, admodum difficile נְעָם וּמְרוֹתָה cum ceteris sententiis ullo modo poterit jungi. Itaque magis probanda videtur ratio, quam recentiores plerique inierunt, ut scilicet עַל a משיח sejungatur. Verum neque haec ratio omni difficultate caret. Quod etiam variae doctissimorum virorum interpretationes testantur. Nam cel. PFEIFFERVS, qui novam quandam proposuit, putat נְקָם a radix נְקַטָּס esse derivandum, praecipue quod punctis conveniens sit. Davidem autem, quum saepenumero ab hostium potestate Deus vindicaverit, ad divinum auxilium per totam vitam ipsi latum respicere his verbis arbitratur. Quamquam enim plerumque נְקָם de vindicta et de scelerum poenis usurpatur, tamen, quia, si vincantur hostes, quasi poenas luere videantur, quoque de victoria dictum occurrat. Quod quidem probant loca Jud. XV. 7. XVI. 28. 1 Sam. XIV. 24. 2 Sam. XXII. 48. Quamvis autem omnia ita se habere possint, tamen, quia tum insequentis vocis עַל

↳ commoda interpretatio nulla est, vereor ut haec ratio probanda sit. Nam quod monuit cel. PFEIFFERVS ↳
hoc loco ex licentia poëtica pro צָאֵר positum esse, et per
eminenter, prae ceteris, egregie explicandum, quum huius
rei ne simile quidem exemplum adsit, accipi nullo modo
potest. Accedit quoque, quod veterum interpretum ne qui-
dem ullus huic explicationi faveat. Aliam igitur rationem
alii fecuti sunt, ut הקם pro הַיְקָם a rad. קומ esse putar-
rent. Neque sane puncta huic voci in vulgaribus editioni-
bus subjecta tanti momenti sunt, ut nos ab hac interpreta-
tione amplectenda deterreant. Nam in editione Bibliorum
J. O. HEINR. MICHAELIS jam notatum reperitur, quos-
dam codices ḥ habuisse non dageschatur, atque tum הקם
idem valet, quod הוקם. Quid? quod apud KENNICO-
TVM invenio, quindecim codd. Mscrptos vere הוקם le-
gisse. Cui lectio quum faveant veterum versiones omnes,
satis magna auctoritate eadem videtur recipi posse. ↳
tum adverbialiter explicatur per alte, edite. Occurrit autem
haec vox, subjecto vocali Kamets, Hof. VII. 16. *) XI. 7.
ubi similiter explicandum est. Videtur autem hanc signi-
ficationem ex vocibus צְעִיל et מעלה, in quibus eadem su-
peri altique notio continetur, sibi vindicare. Edite consti-
tutum autem Davidem se nominare posse, quum ex humili

A 5

con-

*) Etiam hoc loco veterum interpretes nonnulli ↳ pro-
nunciari voluerunt, quemadmodum loco nostro Arabs
et Syrus. De quo qui plura cupit, adeat BAHRDITI
Apparatum criticum p. 55.

conditione ad summos honores et ad regiam adeo dignitatem fuerit elevatus, dubitari certe non potest. — Jam quum haec omnia nisi de Davide intelligi non possint, Messiah אלְהִי יַעֲקֹב similiter non Messiam denotare h. l. sed Davidem, satis apparere arbitror, praecipue quum, quod sequitur, נָעִים וּמְרוֹתָה ad eundem iterum referre nescisse sit. Reges enim ita appellari posse, satis notum est. Neque, quae apposita sunt, verba אלְהִי יַעֲקֹב impeditre, quo minus Davidem hoc loco intelligamus, ex eo appetat, quod rex in codice sacro saepius יהוָה Messiah appelletur. *)

نَعِيمٌ وَمَرْوَةٌ Vox נָעִים est ab Arabum *mollis, tener jucundus fuit.* **) Respondet fere semper *suavi* et *amoeno* apud Latinos. Quemadmodum enim Latinis carminum sollempne epitheton est, *suave* et *amoenum*, ita quoque ad carminum suavitatem designandam adhibetur Ps. CLXXXI. 2. — Non autem videtur זְמָרֹות, ut plerumque putant, pro בְּזָמָרֹות positum esse, sed esse in statu constructio. Quod et eum, qui puncta subjicit, voluisse, ex eo videre licet, quod non נָעִים scripserit, sed נָעִים. Neque hoc abhorret ab Hebraeorum loquendi more. Eodem enim modo, quo dicunt יְרָאֵי יהוָה תְּמִימֵי לֶב puri cordis et timentes Dei, di-

*) Plura de hac voce, ut et de ungendis regibus disputata inveniuntur in ill. PFEIFFERI commentatione in hunc locum.

**) Hac de voce conferri potest SCHVLTENSIVS in Prov. II. 10.

dictum quoque est נְעִים וּמְרוֹה suavis carminum i. e. carminibus; suavis poëta. Videntur autem nonnulli in derivanda voce זָמְרָה a se discrepare et multum dubitare melioremque, consueta a canendo, derivationem, qua tamen nil certius mihi videri profiteor, desiderare.*¹) Syrus enim, ut aliis in locis, ita et nostro, eodem prorsus vocabulo vocem reddit זָמְרָה. Quam quidem vocem a radice זָמֵן, quod est canere, psallere, oriri, dubitari nullo modo potest. Huic autem voci respondet arabicum زَمْرَانْ canere voce vel instrumento, a quo etiam مَارْجَنْ psaltes, tibicen

*¹) LOWTH Poët. sacra Hebr. p. 66. edit. Goett. 1770. ibique notae. Proposuit vero aliam derivationem, hanc prorsus rejiciens, jo. CHRISTOPH. SCHVLZ in comment. in Psalmum XLVIII. quae Goettingae prodidit 1769. Putat autem a palma nostram vocem et esse carmen palmarum foliis inscriptum. Necesse enim esse censet, ut ab eodem vocabulo, quo זָמְרָה canticum, derivetur quoque זָמְרָה palmes. Illud vero, nescio quo errore vel memoriae lapsu, idem cum חַמֶּר, resque diverfissimas palmitem et palnam eandem esse rem arbitratur. Sed neque intelligi potest, quare זָמְרָה et זָמְרָה ab eadem omnino voce derivari debant. Nam זָמְרָה canticum a مَارْجَنْ canere, palmes vero a مَارْجَنْ putavit vitem satis apte derivatur. Et enim بِ cum نِ minime pro arbitrio commutantur, sed multis et indubitatis exemplis harum literarum commutatio potest probari.

bicen et مزمور canticum, originem dicit. Accedit, quod in reliquis linguis fere omnibus poëmatis quoddam genus a canendo nomen habeat. Davidem autem inter ea, quae de se praedicet, suavem Israelitarum poëtam se appellare, mirandam non est, quum apud veteres nationes omnes poëtae singulari quodam honore affecti fuerint.

روح יהוה רבר בָּי

ומליך על לשוני

Haec quomodo in mentem divini vatis venerint, ex eo intelligitur, quod modo poëtam se praedicaverat. Pro eo, loquor afflatus divino abreptus, dicit, *Spiritus Jehovahe per me loquitur.* בָּי autem hoc loco non *de me* sed *per me* reddi debere, omnis nexus et ipse membrorum parallelismus docet. Nam eadem res grata Orientalibus repetitione iterum effertur, ומלך על לשוני sermo illius est super lingua mea, i. e. sermonem ipsius ego eloquor. Id enim sibi vult illud ut, Ps. CXXXIX. ubi cogitationibus opponitur. בָּי autem *per me* esse, sive respondere frequenti alias בִּרְיִי, exemplo Hos. 1. 2. firmari potest. Ita et omnes fere veteres illud intelligi voluerunt, saltem Arabs, et vulgata, quae habet *per me*, et *οι οι* qui ἐν ἐμοι reddiderunt, quod est *per me*, quemadmodum Hebr. I. 1. ἐν προφήταις *per Prophetas.*

אמר אלהי ישראל

לו דבר צור ישראל

מושל באדם צדיק

מושל יראת אלוהים

Pri-

Prima hujus comitatis hemistichia, ut satis luculent-
ter appetat, sibi respondent, et eandem fere rem exprimunt, quae priori commate continebatur, scilicet Deum per illum loqui. Quodsi in verbis ceterum facillimis monendum quid esset, illud forte foret, quod צְבָא in V. T. fere semper synonymum sit summi Dei et Jehovah. Quod quidem vel ex hoc nostro loco, collato membrorum parallelismo, videre licet. Eodem modo occurrit Deut. XXXII. 15. 18. Reperitur autem quoque, ubi sine ullo membrorum parallelismo *Deum* significare necessario debet, e. g. Deut. XXXII. 4. 2 Sam. XXII. 32. — Ortum procul dubio exinde est nomen, quod in poesi Hebraeorum Deus saepe cum rupe, cui confidere liceat, comparatur, v. c. 2 Reg. XXII. 2. Animadvertisse vero iam videntur hanc vocis significationem Alexandrini et Hieronymus, qui locis laudatis צְבָא per Θεόν et *Deum* reddunt, procul dubio, quod neque graece neque latine Dei notio satis commode *rups* notione exprimitur. Saepe autem, ut nostro loco et 2 Sam. XXII. 3. οἴοι reddunt per φύλαξ atque tum videntur a נֶצֶר perperam derivasse.

לִישָׁן. Quum haec vox, quomodounque explicetur, multis laboret difficultatibus et per totum carmen multum rei facebat, statim, omnibus aliorum interpretationibus missis, quid ad hanc rem expediendam mihi veterum versiones conferenti in mentem venerit, exponam. Quamquam enim veteres omnes de rege quodam videntur cogitasse, tamen Alexandrini vocem לִישָׁן per παραβολὴν

λην verterunt. Quin autem לְשׁוֹן perpetua consuetudine ita reddant, apparet omnino, eos non legisse לְשׁוֹן, sed omisso fulero τῷ Cholem מִשְׁלָךְ illudque לְשׁוֹן pronunciare voluisse. Jam quum constet, insertionem matris lectionis ejusque omissionem arbitrariam fere esse neque usum illius tam frequenter olim, quam hodie plerumque est, fuisse, quod vetusta, quae exstant, Hebraeorum et Poenorum monumenta probant, ut et vetustissimorum codicem inspectio, mirari sane potest nemo, eos sine ו legisse לְשׁוֹן. Propter easdem has rationes haec lectionis varietas haberi fere nequit. Neque mirandum igitur est tantam copiam codd. mscrpitorum apud KENNICKOTVM hoc ו non habere, praesertim quum ii, qui codicibus conferendis operam dant, nullam lectionum varietatem, matrum lectionis Vau et Jod insertionē et omissione, frequentiorem esse profiteantur. Ex qua re intelligitur, quomodo, si quoque in codice primo fuerit לְשׁוֹן, in alios codices ea lectio, quam hodie habemus, לְשׁוֹן, potuerit venire. Quid? quod in hac ipsa voce saepius in sacro codice a punctatore erratum fuerit. Nam Job. XVII. 6. ubi ita est, רְחִזְקֵנִי לְמַנְלָל עֲמִיכָה legendum esse לְשׁוֹן, omnis contextus docet. Quodsi igitur haec lectio, quae apud Alexandinos exstat, recipiatur, optimus per totum carmen sensus videtur constitui posse. Quamvis enim ex ea significacione, quam tribuerunt huic voci ו ו nihil excupi posse fatendum sit, tamen ex ceteris vocis לְשׁוֹן significantibus, is potissimum eligi poterit, qui contextui maxime est con-

fens-

sentaneus. Nam quum L O W T H I poëſ. facr. editor illustris in nota 8. ad prael. IV. quatuor genera משלים constitutat, carmina nimirum epinicia, prophetica, lugubria et invectiva, ad genus posterius loco nostro videtur esse referendum. Qui quidem hujus vocis significatus optime elucet et illustrari potest ex Ps. XLIV. 14. 15. ubi ita est:

השミニו חרפה לשכניינו
לעג וקלס לסיבבותינו
השימינו מושל בנוים
מנור רаш בלאים

Quibus in verbis mira hemistichiorum convenientia et membrorum parallelismus luculenter docet, משל idem fere esse debere, quod חרפה, quod nisi carmen inventivum, contemtus causa concinnatum, sive ludibrium, nihil esse omnino potest. Idem vero quoque משל sonat Habac. II. 6. Jes. XIV. 4.* — Sententia autem his verbis expressa esset haec: *Pro ludibrio in hominum ora abiit probus, pro ludibrio habetur pietas*, eodem fere modo, quo Job. XII. 4. dicitur שחוק צורך שחרוק *derideri probum*.

וכאוד

(* Qui de notionum, similitudinis et regnandi, quae voci משל ineſt, conjunctione quaedam disputata cupit, adeat L O W T H Poëſ. facr. Hebr. pag. 63. ed. Goett. 1770; ubi in notis quoque, quid sentiat SCHVLTENSIVS et ill. MICHAELIS explicatum inveniet. Cf. praeterea FVNK in Symbolis ad interpretationem S. Codicis p. 57.

וְכָאֹר בָּקָר יוֹרָה
שְׁמִישׁ בָּקָר לֹא עֲבוֹת
מַנְגָּה מִמְטָר דְּשָׂא מַאֲרָץ

Quamvis pro ludibrio habeatur justus, inquit Poëta, tamen fore, ut diu non spernatur et contemtui sit, sed ut mox ad feliciorem per venturus sit conditionem. Quam quidem sententiam grata imagine exprimit, scilicet eum Aurora et solis instar esse proditum. Etenim usitatisissimus est Orientalium mos, ut prosperas res et adversas lucis et tenebrarum imagine adumbrent. Quod quidem recte notavit et egregie explicavit LOWTHVS in Poët. sacra Hebr. Prael. VI. *) Hanc igitur imaginem adhibet Davides ad meliorem spretae virtutis conditionem depingendam.

Enim-

*) Loquitur ille sic p. 103. sq. Imago lucis et tenebrarum ad exprimendas res prosperas et adversas translata communis omnium linguarum usu frequentatur, quemadmodum omnium hominum communis est rerum ipsarum sensus et perceptio. Verum his metaphoris Hebraei frequentius quam caeteri omnes et constantius utuntur; usque adeo quidem, ut raro se iis abstineant ubique loci argumentum postulat, aut etiam patitur. Haberi itaque possunt in eo locutionum genere, quarum in stilo parabolico maxime nota et rata est significatio, cum imagines exhibeant notissimas et maxime familiares fiatque translatio ex agnita et concessa rerum inter se similitudine, quae et natura percipitur et sermonis usu constanti comprobatur. In imaginibus tam notis tamque frequentatis apud Hebreos, facile conceditur audaciae venia.

Enimvero non una imagine orationem absolvit, sed aliis suavioribus ac fortioribus eandem illustrando. Postquam enim dixerat, justum velut lucem *matutinam* proditurum esse, auget imaginis suavitatem adjungendo, *velut solem matutinum*, *nubibus expertem* scilicet *coelo sereno*, aliamque addit felicitatis imaginem, dum dicit, *velut laeta herba e terra post solis calorem et pluviam progerminat*, ita probum e contemtu ad honorem proditurum esse. Hac ratione autem dum verba nostra explicantur, quod voci *אָרֶן* praefixum est כ comparativum, per totum comma, ubi nova quaedam imago orditur, subintelligatur necesse est. Nam tota carminis ratio illud et ipse sensus videatur postulare. Neque haec ratio ab Hebraeorum loquendi more ita abhorret, ut eam his in verbis locum habere, dubitare possimus. Magna autem huic rei accedit auctoritas, quod omnes veteres, ne ullo quidem excepto, hoc modo interstinctionem hujus commatis instituere et omnes, saltem ante vocem *מַנְגָּה*, Caph illud comparativum ex *כָּאֵר* repeteret voluerint. —

Quod autem ad verba ipsa hujus commatis attinet, satis videntur nota esse, neque explicatione indigere. Nam vocem difficiliorem *מַנְגָּה* satis explicavit SCHULTENSIVS. *) Quamvis vero in codice RR. non fuerit

*) Explicat eam ex Arabismo ad Prov. VI, 18. cuius verba, quantum hic pertinent, sunt: Vox *מַנְגָּה* speciatim fese
B ad

rit haec vox מנגה, sed ab alia manu modo inserta, tamen, quum ceteri codd. omnes omnesque veterum interpres eam habeant, ex librariorum oscitantia tantum videtur omessa esse. Illud vero morari fortasse nos quodammodo posset, quod ורֵחַ de sole oriente admodum apte usurpatum, si ad רְשָׁא transferatur, non itidem concinne de progerminante herba dici possit. De eo enim proprium vocabulum צמַח sive etiam יְעֵל ut Es. LIII. 2. in usu est. Est autem apud omnes omnium nationum poëtas usitatissimum, ut ex posito vocabulo notionem quandam communem eliciant et ad alias res transferant, ad quas exprimendas minus proprie adhibetur. Sic nostro loco haec notio ex ורֵחַ elicita est prodire, quae per totum comma locum habet. Atque si unicuique rei maxime proprium et accommodatum vocabulum tribuissest poëta, nescio an nimis fuisset sedulus et sollicitus, aut nimis longus, si, ne quaeque res exprimenda suo caret vocabulo, eadem saepius repetiisset.

כִּי לֹא כִּן בֵּיתִי עַם אֶל
כִּי בְּרִית עֲוָלָם שֵׁם לְלִי

ערוכת

ad splendorem solis orientis refert. Consonat usus Arabum, quibus نَجْهَه (نَجَّة) est طَلْحَه eminuit, emicuit sole oriens. Notandum tamen est, hanc vocem de splendore etiam qualicunque usurpari e. g. 1 Sam. XXII. 29. et Syris quoque ئُرْكَوْنَه est lucifer, Aurora.

ערוכה בכל רשותה
כוי כל ישער וכל חפץ
כוי לא יצמיה

Postquam dixerat Davides, probum, quamvis pro iudibrio habeatur, tandem tamen fieri feliciorem, id familiae suae eventurum esse Dei gratia fretus sperat. Nam **כילא nisi interrogative accipi** hoc loco non videtur posse; *Nonne ita quæso fit domus mea?* Quodsi enim positive accipitur, sensus omni contextui contrarius efficitur. Neque lectionum varietas exspectanda est, quum omnes veterum versiones omnesque, qui adhuc collati sunt, codices, uno tantum excepto, apud **KENNICOTVM** qui pro **כן** **לא** habet, hoc loco **לא** legerint. Neque sane haec interrogandi ratio ab Hebraeorum more loquendi abhorret. **לא** enim saepius pro **הלא** poni, probant loca 2 Reg. V. 26. Gen. XI. 6. Thren. III. 38. Jon. IV. II. Post **כוי** auem **ה** interrogativum in **נַ** ordinarie omittitur, ut Jud. XXI. 22, Job. V. 6. fortasse, quod **כוי** natura sua jam vim interrogandi habet. Itaque **כוי לא** positum est pro **הלא**, sive potius illi respondet.

עם אל Quamvis multum dubitetur plerumque, quid sibi velint haec verba, tamen occurunt loca nonnulla, ex quibus huic nostro lux quaedam videtur affordi posse. Nimirum Job. X. 1, reperitur totidem fere verbis: **כוי לא כן אנו כי עמרי;** ubi aliud fere esse non potest, quam, *Nam ita me non esse apud me est,*

f. conscius mihi sum. Idem autem valere videtur, quod alias לְפָנֵי. Eodem capite legitur scio haec esse apud te, haec te velle, hoc esse consilium tuum. Similiter quoque hoc loco dictum esset. Nonne ita quaeso sit domus mea secundum Dei consilium, f. consilio divino, לְפָנֵי אֶל coram Deo.

כִּי בְּרִית עֲלֵם שֵׁם לְיַיִן. Nam aeternum foedus pepigit mecum i. e., sempiterno foedere cum ipso junctus sum ideoque de auxilio ejus mihi persuadere plane possum. Nam ברית ברית et שָׁוֹם synonymous esse, satis notum est. Hoc autem est ברית ברית בכל ושמרה. Quibus ex verbis quid sibi velit non luculenter apparet. Quamvis enim de voce עַרְקָה satis constet, tamen quomodo de foedere satis apte dici possit, vix videre licet. Illud, puto, ex omni contextu omnique verborum collocatione apparet, עַרְקָה synonymous esse debere voci שָׁמְרָה. Enimvero nusquam alias occurrit phrasis עַרְקָה ברית. Itaque si similes loquendi rationes consulendae sunt, fortasse ex eo huic voci quodammodo aliquid lucis affunderemus, quod nonnunquam Deus dicitur הקים stare facere, f. implere promissa sua. Nam quoque est consistere, stare. Veterum autem nonnulli jam animadvertisse videntur, עַרְקָה synonymous esse debere תְּשַׁמְּרָה. Vulgata enim et Chaldaeus textui admodum convenienter illud per firmum reddiderunt.

חפץ

כִּי כָל יְשֻׁעָה וְכָל חַפֵּץ Omnis enim mea salus
 omnisque spes. derivat SCHVLTENSIVS ad
 Prov. XX. 1. ab arab. حَفْظٌ clinare, inclinare. Unde
 est propensio, voluntas, desiderium. Jam quum foe-
 dus tam firmum mecum inierit Deus, inquit Davides,
 כִּי לֹא יָצְמִיחַ tantam in eo ponam fiduciam
 nonne igitur floreret, salus ac spes mea. כִּי לֹא au-
 tem, interrogative explicandum est. — צמח vero
 etiam in Hiphil pro germinare, florere accipi, probatur
 Jes. XLV. 8. Quamvis autem magna apud veteres le-
 ctionum sit varietas, quippe quum Syrus, Chaldaeus
 et Arabs יָצְמִיחַ plane non exprimant et ita ex-
 placent, ac si legissent כָּלָה, Alexandrinis vero aliam in-
 situere interstinctionem placuerit, tamen nos, quum
 nihil fere hac varietate efficiatur et codex noster prae-
 stantissimam et toti huius carminis nexui maxime con-
 gruam lectionem praebeat, eandem retinere minime du-
 bitamus.

זֶבְלוּל בְּקֹרֶץ מִנְדָּר כְּלָהָם
 כִּי לֹא בַּיד יַקְחֶר

Postquam in antecedentibus dixerat poëta, probum,
 quamquam diu spretum, tandem tamen felicem evade-
 re et inde de familiae suae felicitate bene speraverat,
 jam egregia imagine impiorum conditionem depingit
 eosque ulla felicitate negat gavisuros esse. Comparat
 enim eos cum carduo, qui, quoniam manibus tractari

רְבָלִיעַל בְּקֹרֶץ מִנְרָכֶלֶת
 nequit, igne extirpatur. Ad impios autem quod attinet, universi illi sunt ut carduus. *) Majores vero et multo frequentiores apud Orientales, quam nostris regionibus, carduos esse, satis notum est. Huic carduo jungitur epitheton מִנְרָכֶלֶת. Quod quidem quid sit, et recentiores dubitant et vetustiores. Venit mihi quidem hanc vocem explicare cogitanti in mentem interpretatio, quam, et si vix veram esse existimem, paucis tamen propter veri, quam habere videtur, speciem proponam. נָרָר enim et arab. نَادِ est se movere, vagari, volitare, fugere, dispergere se. Quibus ex significatis nullus certe ad carduum pertinere potest, nisi postremus. Eset autem carduus dispersus s. se dispergens, late se disseminans. Et certe ea est cardui natura, ut late serpat ac se disseminet. **) Enimvero quamvis per se hoc epitheton locum habere possit, tamen in hac verborum collocatione nimis subtiliter esset fortasse dictum. Videtur autem, quae antiquissima est interpretatio, eadem esse verissima, Alexandrinorum scilicet, qui vocem מִנְרָכֶלֶת vertunt per ἔξωσμένην. Nam נָרָר de extirpatione etiam et exterminatione usurpatur, Job. XVIII. 10. XX. 8. Eadem autem nostro loco adhibe-

*) De voce פְּנַי vid. Celsii Hierobot. P. II. p. 223.

**) Quod quidem VIRGILIVM interpretando (Georg. I. 150.) notant ill. HEYN, cuius in me meritorum memoria ex animo meo nunquam descendet, ut et MARTINVS.

hiberi videtur imago, quae invenitur apud Jes. XXXIII. ubi spinae evulsa et ejectae comburuntur. Eodem modo intelligi quoque voluerunt hanc vocem Chaldaeus interpres et Vulgata. Syrus autem habet ﻢَكْوُمٌ حَسْنٌ et scelesti sunt, ut spina dura. Similiter Arabs فَهُمْ مِثْلَ الشَّوْكَ الشَّدِيدِ Quae quidem ratio, si satis explicari posset, optima, quantum equidem video, esset judicanda. Haberemus enim hoc loco sollempne spinarum epitheton, *horrens*, *carduus horrens*. Apud KENNICOTVM lectionum varietas invenitur, cujus tamen, quum unius tantum sit codicis neque sensum meliorem reddat, vix videtur ratio esse habenda. Legit enim cod. 224. מִנְדָּרֶם *ejectio eorum*, qui fortasse codex Regiomont. est a LILIENTHALIO descriptus, in quo tamen □ finale a punctatore transfixum esse narrat.

— כִּי לֹא בַּיד יְקַח — Vocem **לְקַח** eo sensu hoc loco acciperem, quo significat *auferre*, quemadmodum occurrit Job. I. 21. יהוה נָתַן יְהוָה לְקַח. Nam *manu cardui* isti auferri nequeunt, sed aliis instrumentis.

רַאֲיוֹשׁ וְגַע בְּהָמָם
יִמְלָא בְּרוֹלָם וְעַז חַנִּית
וּבְאַש שְׁרוֹף וְשְׁרָפוֹ בְּשַׁבְּתָה

Quamquam duo codd. apud KENNICKOTVM post וְ legunt אַשְׁר, tamen, sive librariorum negligentia, sive explicandi causa, recentiori modo aetate videatur insertum esse. Veteres enim interpretes omnes non exprimunt illud אַשְׁר. Sic e. g. oi ὁ habent; καὶ αὐτὸς ποτίσθεται ἐν αὐτοῖς, perperam fortasse גָּנָע a rad. גָּנָע derivantes. Neque sane necesse est אַשְׁר. Nam ut innumeris in locis, ita hoc quoque, omissum esse putarem, ideoque subintelligendum. גָּנָע vero, quoniam antecedentia verba in Futuro enunciata fuerunt, a rad. גָּנָע certe derivandum videtur. *Quisquis appropinquaverit illis.*

ימלא ברול וען חנינה impletur ferro et lignea hafta. Duplicem sane haec verba patiuntur interpretationem. Possunt enim ita accipi, ut instrumenta rustica intelligantur, quemadmodum vulgatus interpres, has voces a re militari ad rem agrariam translatas esse, videtur voluisse. Atque satis apte ita dici posse, dubitari nequit, quum Virgilius instrumenta agrestia arma vocet. *) Hac ratione igitur si intelligitur oratio, haec esset sententia: Manu quidem auferri spinae nequeunt; Quisquis appropinquat illis, armatur ferreis ligneisque instrumentis. Sed et ita explicari verba possunt, ut acu-

*) Georg. I. 160. *Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma.*

aculei spinarum comparentur cum ferro et ligneis hastis,
et, quisquis appropinquaverit, illis impleatur, ideoque
exterminentur igne. Manet tamen semper sententia,
non lenta manu improbos tractandos esse, sed aspere du-
riterque.

רְבָאשׁ שַׂרְוֹף יִשְׁרָפֶר. *Itaque igne comburuntur.*

Non argutandum videtur in eo esse, quod באשׁ addi-
tum sit τῷ σῆρφῳ *) Nam in aliis id quoque linguis
reperitur. Sic apud Graecas πυρὶ καίσθαι valde sol-
leme, praecipue apud Poëtas e. g. Pind. Pyth. Γ. 181.
— Hi cardui comburuntur בשבთ. Quae vox quam-
vis ab auctore carminis non profecta videri et suspicio
alicui venire possit, eam ex infrequenti linea, ubi etiam
legitur בשבת, in hanc transiisse, tamen, quoniam
non magna hoc loco lectionum est varietas, genuina
omni-

*) Ill. PFEIFFERVS ad hanc loquendi formam expli-
candam confert Arabum بـ paſtum abiit, quo vo-
luit, egressus est, expatiatus est, quo voluit, quod
scilicet ignis permeat omnia ac pervolet. Enimvero
primo intuitu haec derivatio vero admodum absimilis
videtur, quod ش et ح Hebraeorum cum سـ et بـ
Arabum non facile permutentur. Fortasse autem
ش ardere conferri cum eo posset, atque cum eo شـ,
si affirmare velis شـ et بـ cum شـ et حـ, quod literae
fint ejusdem organi, inter se hoc loco esse permu-
tatas.

omnino putanda est. Quodsi vero genuina non esset, certe antiquissimis temporibus vitium in codices irreperitur, necesse est. Omnes enim veterum versiones hanc lectionem exprimunt, exceptis tantum Alexandrinis, qui habent αἰσχύνη αὐτῶν quique בָשָׂת videntur legisse. Itaque alii hanc vocem ita explicant, ut a rad.
בָשָׂת sit, in cessatione, sc. donec esse desinunt, sc. ut bene vertit Vulgata: usque ad nihilum. Alii vero ex substantivo בָשָׂת esse putant; quemadmodum occurrit Amos VI. 3. Ps. XXXIII. 14; ut sit, in loco, sc. quo sunt. Quae posterior explicatio propterea probabilis videtur, quod, in agris Orientalium comburi frequenter solere carduos, satis superque sit notum.

Haec igitur ratio, qua carmen hocce explicari possit, si probatur, appareat, nil aliud fere in eo contineri, quam sententiam in Psalmis tam saepe obviam, probos, quamvis adversa uti forte videantur, tamen fieri felices, impios vero felici conditione nunquam esse gavisuros. Respicit autem simul ad familiae suae sortem. Propter frequentes autem interrogations non improbabile fit, provectiori aetate a Davide hoc carmen compositum fuisse. Omnis vero sententiarum nexus ex versione subjecta melius, spero, apparebit. —

Ex

*E*s spricht David, der Sohn Isai,
*E*s spricht der erhabne Held,
*G*esalbt vom Gott Jacobs
*U*nd durch Gesang bey Israel beliebt.
*B*egeistrung Jehovens spricht aus mir,
*S*ein Orakel schwebt auf meinen Lippen.
*E*s verkündigt der Gott Israels.
*M*ir offenbart es Israels Gott :


*S*ey der Fromme der Welt ein Hohn,
*S*ey Frömmigkeit ein Gespött,
*D*och wird er wie Morgenroth hervor gehen,
*W*ie die Morgensonnen ohne Gewölk,
*W*ie nach Sonnenschein und Regen Gras aus
*d*er Erde.

*S*ollte nicht so mein Haus seyn vor Gott?
*E*r schloß ja mit mir einen daurenden Bund,
*T*reu in allem und unverlezt;
*W*ie? meine Hoffnung und mein Glück
*S*ollte es dann nicht blühen?

Aber

Aber die Freuler,
Wie ausgerißne Dornen sind sie all;
Nicht mit der Hand greift man sie an.
Nein: Wer sich ihnen naht,
Waffnet sich mit Eisen und Axt,
Und Feuer verzehrt sie auf der Stelle.





32

o, quae invenitur apud Jes. XXXIII.
et ejectae comburuntur. Eodem
que voluerunt hanc vocem Chaldaeus
i. Syrus autem habet حَمْنَكْسُونْ
fti sunt, ut spina dura. Similiter
فَهْمُ مِثْلَ الشَّوْكَ. Quae quidem
icari posset, optima, quantum equi-
judicanda. Haberemus enim hoc lo-
in epitheton, horrens, carduus hor-
NNICOTVM lectionum varietas
nen, quum unius tantum sit codicis
prem reddat, vix videtur ratio esse
enim cod. 224. מִנְרָם ejusq; eorum,
Regiomont. est a LILIENTHALIO
tamen □ finale a punctatore trans-

— — —
Vocem נַקְחַ eo sensu hoc
significat auferre, quemadmodum
יהוָה נָתַן יְהוָה נַקְחַ
equeunt, sed aliis instrumentis.

רָאֵישׁ וְגַע בְּהָם
וּמְלָא בְּרוֹל וְעַז
רְבָאשׁ שְׁרוֹף וְשָׂרָב

B 4

Quam-

